



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Cardinales ab Episcopo, ad alterius vitæ iudicium venire jussi,
experiuntur non ridendos esse gemitus injustè oppressorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

negando, innocentia freti, tandem ad diuinum iudicium appellarunt, regique iusserunt denunciari, vt inibi se, ad tricesimum diem sisteret. Non est personarum acceptor Deus; sed omnibus idem. Perinde regem iudicat, ac plebem. Itaque & Ferdinandus, rex animi securus, cum contra Mauros, in castra abiisset, morbo statim tentatus Giennium concessit, atque 7. Idus Septembris, hoc est, ipso postea tricesimo à supplicio Nobilium die, repentinà morte sublatus & in lecto mortuus repertus est, in ipso ætatis flore; annos natus non plures, quàm viginti quatuor, menses nouem. Quo Dei supremi regis iudicio intellecto, proceres & populus rectè dicere potuerunt: *Consecantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est: & honor regis iudicium diligit. Magnum nomen* quia magni Dei; *terribile*, quia potentissimi regis & reges ipsos iudicantis; *sanctum* quia iustissimi iudicis. Siquidem regia sanctitas dignitasque id exigit, vt rex iudicium diligat; hoc est, vt personam non respiciat, siue ea è stabulo, siue è throno prodeat; vt non dissimulet crimen timore; nec furore exaugeat; vt denique amore iustitiæ conseruandæ iudicet; quod non semper in alteram vitam differt, vt doceat etiam vicarios suos rectè iudicare.

Psal. 98. 3.

VII.
Conrad. in
Chronic.
Moguntino.
& 1. Lipsius
lib. 2. Moni-
tor. polit. c.
II.

Venio à purpura ad purpuram, hoc est, à Regibus ad Cardinales. Nam Anno 1154 Friderico Ænobarbo imperante, Henricus Moguntinus, vel, vt alij volunt, Wormaciensis Præsul, falsò, & per calumniam quasi ad Pontificium inidoneus. Romæ accusatus; Arnoldum misit ad calumniam, diluendam: quam nequam aduocatus magis accendit, corruptosque nonnullos, ad se traxit. Igitur innocens Henricus, à duobus Cardinalibus, quos Pontifex Eugenius III. ad causæ cognitionem delegauerat, iniustè damnatus & abdicatus est, ipso Arnolde ambitioso calumniatore, in locum eius suffecto. Henricus exinde mœrore confectus his postremum verbis iniquos iudices appellauit: *Iniuste iudicastis. Appello igitur ad IESVM Christum aequissimum iudicem; ibi respondebo. venite.* Rem tam seriam illi ioco eludentes, *Cum precesserit*, aiunt, *nos sequemur.* Nemo se tanti facere debet, vt cum Deo audeat iocari; aut à se oppressam iustitiam contemnere. Sera subinde, sed certa est vltio. Siquidem & hi Cardinales, sibi ipsis ludendo vates, Henricum reuera sunt secuti. Henricus enim, post annum ferè & dimidium, fato concessit, Morte illius audita purpurati

purati illi Patres veterem iocum repetentes dixerunt: *Ecce praeceffit, nos sequemur.* O miserè iocosi iudices, non iocum, sed vaticinium vestrum repetiistis. Est, qui audiat iniustè oppressos, Deus. Est, qui iudicia vestra vnam tantùm aures, & linguam accusantium duntaxat sequentia iudicet, maior iudex. Quamobrem funestum vobis iocum fuisse, euentus docuit. Quippe, vna vos dies ambos morti obiecit, vt author est Nauclerus; nec morti modò subitæ, sed etiam infelici ac miseræ. vnus enim, velut rabie actus, digitos proprios arrodens; alter. Arrij morte, in latrinis foetentem animam efflauit. Ita *contradictiones comprimit fors, & inter potentes quoque dijudicat:* & diuina iustitia, nec purpuras veretur, nec tiaras. Ita Altissimus summos etiam vertices sub se habet. Neq; regias tantùm, sed etiam Imperatorias coronas iudicio arcessit, *qui non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum; cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi.*

Transeo igitur rursus à Cardinalibus ad ipsos Imperatores, qui, cum peccant, Deo soli peccant; nec enim alium, in terris, nisi illum formidant. Narrat igitur Petrus Damiani, *vir valde sanctus & Cardinalitæ dignitatis scriptor, Othonem I. Imperatorem Romanum, ab Antifite Moguntino Guilielmo (qui filius eius fuerat) propter inimum, cum Adelaide, coniugiũ, Christianã Apostolicãque libertate, grauitè admonitum, ægrè tulisse; atque eapropter comprehensum in custodiam compegisse. Filius vi oppressus Othonem parentem, ad Numinis tribunal, summum iudicem interpellans citauit his verbis: Die sancto Pentecostes, autè Dominum IESVM iudicem nostrum, uterq; comparebimus, & de capite causam dicemus. Vter noster equitatis lineam transgressus sit, diuinum pandet iudicium.* Neque effectu caruit citatio. Quippe nonis Maij, hoc est, ipso tunc festo Pentecostes, Otho Imperator, in Saxonia, repentina inualitudine extinctus, ad iudicium adductus est, vbi eum filius Guilielmus, & ipse paulò prius humanis rebus ereptus, expectauit. Nimirum & parentes in sobolem possunt esse iniqui, & Cæsares in subditos iniusti, immo & in non subditos. Sed in diuino prætorio idem ius est filio, quod patri; eadem Dice inferiori, quæ superiori. *Ideo viri cordati, audite me; absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum, restituet eis. Verè enim Deus non condemnat frustra, nec omnipotens subuertet iudicium.* Cæsarem posuit iudicem

Prou. 18. 18.

Iob. 34. 19.

VIII.

Petr. Dam. l. 2. epist. 15. Baron. An. 973. aliter sentit.

Iob. 34. 10.